



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quomodo natura omnibus quibus se suumq[ue] commodum spectat,
interire debet & mori. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Quomodo natura omnibus quibus se suumque commodum
spectat, interire debet
& mori.*

CAPVT XXVI.

Magno studio & diligentia die nocteque excutienda est cuius intentio sua, Intentio vi
quid scilicet ipsum moueat, quemue in omnibus operibus suis scopum si-
bi praefixerit. Natura enim seipsa & quae sua sunt semper (etiam in ijs quae
necessitatis duntaxat causa sumuntur) queritans, libenter aliquid haberet, ali-
quid sciret, aliquid vellet. Et priusquam hoc triplex aliquid radicatus mortifice-
tur, hoc optus, hic labor est. Natura siquidem post primum illum lapsum suum
quam profundissime praecipitata est & oppressa, modoque incomprehensibili ad
se se incuruata & inclinata: quae vitiosa inclinatio adeo profundè & occultè in ip-
sis hominis exterioris haeret medullis, vt semper obiectum aliquod, quo se-
met oblectet, in verbis, operibus & alijs quibuslibet in rebus aucupetur. Ab
vna autem parte pressa, ab altera se iterum attollit, furtim quae sua sunt, quaeritans, idque (quod mirum est) in donis Dei, in deuotione sensibili, in
suauitate spiritus, atque adeo in Deo ipso. Se quoque magis quam Deum natura a-
mat, omniaque desiderat cum proprietate sibi usurpare. Quidquod aeternum illum
Deum honore laudèque sua defraudat, donaque & operationes illius impedit prius-
quam id animaduertamus? Qui inordinatus sui ipsius amor quam naturam voca-
mus hac tempestate, proh dolor, in omni hominum genere sic inualuit, vt his de-
plorandis non vnus sufficiat. Heraclitus. Ceterum, funditus intercidere, opprimi,
& in sese sibi emori debet, voluntatiue propriae, vitiosis suis defectibus omnibus
arrepitis sibi exercitijs siue delectibus, & operosa illi sedulitati, omnibusque modis
quibus sibi ipsi inhærere, seque sustentare conuincitur, penitus interire debet, si le-
gitime alias in Deum transformari, & vniri cum eo velis per multiplicem, mili-
tarem audacemque pugnam: violentam quoque tui abnegationem sine vlla in ter-
mitione, donec in ijs probè exercitatus fias. Verùm isthoc non vnus est diei nego-
cium: labore multo opus est, priusquam animalem nostrum hominem à tempo-
ralibus hisce rebus abstrahere. propriamque voluntatem tam in lætis, quam in
tristibus perficere odomare possimus. Duæ siquidem formæ in vna materia pari-
ter esse nequeunt. Si ignis excitabitur, lignum interea oportet. Si fructus nasce-
tur tritici granum emoriatur oportet. Si Deus intra te peculiariter operabitur, tu
merè patiaris oportet, omnesque vires tuæ ab arrepitis sibi defectibus & operosa illa
sedulitate expoliari & in abnegatione quadam sui, nudo, simplicitate illo virtutis
suarum nihilo tantummodo niri debeat. Quanto autem isthoc nihilum
fuerit profundius & vastius, tanto & vnicio cum Deo erit essentialior. Vni-
uerse quippe iustitiae nostrae in se sunt immundæ coram oculis Dei, vt pan-
nis menstruatæ. Ex hac mortificatione atque interitu sui ipsius, in eiusmodi
hominibus, intolerabilis quaedam pœna plerumque generatur, adeo vt præ inasti-
mabili dolore vniuersus mundus ipse videatur angustus, quo dolore natura premitur.

Natura vt se
ipsum in o-
mnibus quaerit.

Amor prius
tus vt hodie
inualuit.

Natura in
quibus emoritur
in se debeat.

Ioan. 12.

Est 64.
Mortificatio
quanto do-
lore natura
premitur.

Iii 2

adeo

Salus vt in
patiendo co
struita.

Natiuitas
mystica vt
in anima
mortificata
perficiatur

ad eò premitur & angustatur, vt ne ipsi quidem homines afflicti quid sibi doleat, agnoscant. Atqui solus ille interitus sui & naturæ mortificatio est, quæ ipsos ita malè premit, dum & mori recusant & tamen per virtutem mortis Christi mori compelluntur. Quanto autem in sponte arreptis delectibus suis plures defectus & proprietates possederint, tanto pressura quoque grauior erit. Deus salutem nostram in patiendo posuit sicut in operando, & plura possimus pati quam operari. In hac tamen pressura id subrepat incommodi, quod callida natura semper obiectum aliquod venatur, ac tribulatione ista per orationes, per lectiones, questiones, sacramenti Eucharistiæ summptionem, defungi quærat. Verum hic aliquantisper sensibili solatio destituaris oportet, nisi forrè naturæ imbecillitas diuersum expolcat. Sic quippe corpus Dominicum sumere posses, non tam vt à tribulatione ista eruaris quam vt eam paulo fortius ad extremum vsque punctum perferas. Natiuitas diuina absolute in homine consummari poterit nunquam, ni hæc primò mortificatio præcedat, atq; ita eà deinde sequatur diuina natiuitas. Quicquid autè hæc tibi tribulatione conatur excutere, id diuinæ isti natiuitati, quæ alioqui intra te facta fuisset, si in finem vsque fortiter pertulisses, maximè præbe impedimentum.

De varijs amicorum Dei tribulationibus.

CAPVT. XXVII.

Dona Dei
quibus ele-
ctos suos do-
nar, quatuor
quæ.

Amicos
suos vt Deus
per asperam
ducat semi-
tam.
Iob 12.

Matth. 26.
Abnegatio
vera quomò-
do obtinenda.

Tentationes
quorundam
amicorum
Dei quæ sunt
graues.

Quatuor potissimum donis electos suos remunerat Deus: *Primo* imbecillitate & teneritudine naturæ. *Secundo*, humani subsidij subtractione. *Tertio* quod rectè facta eorum in peiorem semper partem rapiantur. *Quarto* quod quum obnixè expectant à Deo gratiam & consolationem, ab ipsis ceu ab alienis auertatur. Eisdem muneribus & Dominum nostrum Iesum Christum à Patre suo cœlesti in vita & morte constat fuisse affectum. Nam dilectos suos amicos, quos ad absolutam sanctimoniam euehere statuit Deus, per horridam quandam & asperam semitam traducere solet, vt vix ipsimet sciant, quo se vertant, probanturq; à Deo sicuti & diuus Iob, sed ad suam ipsorum salutem & profectum. Ac interdum quidem subtracta eis omni consolationis & internæ suauitatis gratia, proinde nudos aridosq; derelinquit, ac si nullam Dei cognitionem, nullam eius dilectionem habuissent vnquam, imò ac si vatiniano semper odio Deum persecuti fuissent. Ita nudus stetit Dominus noster Iesus Christus quòd diceret. *Pater meus mea sed tua voluntas fiat.* Hic æquo animo in prosperis pariter & aduersis esse docemur, & veram abnegationem non aliter, quam per adfluens gratiæ subtractionem acquirendam, quemadmodum & in reliquis virtutibus vsu venire solet. Non enim patientia nisi per afflictiones & persecutiones, nec humilitas nisi per contemptum acquiri potest. Interdum vero diris tentationibus amicos suos obicit Deus, puta superbiæ, luxuriæ, infernalis inuidiæ, quæ vitia diutinis iam & frequentibus conflictibus à se debellata existimabant: aut certè conscientiæ remotionibus, vacillationibus in fide, blasphemijs, odioque Dei, & eiusdem farinæ alijs vix nominandis sceleribus eos concutiendos tradit, vt incredibile sit hominem Christianum talia posse sustinere. Quæ eo quandoque inualescunt, vt iam se plane existiment